



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXVII. De Inventione Ovis perditæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

Si ver
turæ: & ut Opera , Filij DEI propria , hanc veritatem
confirment. Deinde perpende , quod , sicut Opera
Miraculosa Christi merebantur Fidem , sic Opera Me-
ritoria , & Satisfactoria mereantur Charitatem. Intui-
tuorum nobis reipsa dicit : Si me non vultis amare
propter me , abstrahendo à meis Operibus , & Bene-
ficijs , propter Opera & Beneficia præstata amate.

M E D I T A T I O CCCLXVII.

De Inventione Ovis perdite.

Luc. 15. v. 1.

PUNCTUM I. Erant autem appropinquantes ei Publica-
ni , & peccatores , ut audirent illum. Et murmurabant
Pharisæi & Scribae dicentes : Quia hic peccatores recipit , &
manducat cum illis. Luc. 15. v. 1. Non Pharisæos &
Scribas , sed ipsos peccatores imitare , quos peccando
secutus es. Appropinqua DEO per Pænitentiam , &
audi illum per Obedientiam Mandatorum , ac pete
inter peccatores recipi in Sinu Divinæ Misericordiæ ,
quia DEVS peccatores recipit : Cor enim Contritum , &
Humiliatum non despiciet , & cum receptis in Gratiam
manducabit , sive in Mensa Eucharistica , sive in Mensa
Cælesti , ubi transiens etiam ministrabit illis ; sive in
Mensa Spiritualis Solatij : Secura enim Mens , quasi
Juge Convivium.

PUNCT. II. Et ait ad illos Parabolam istam , dicens :
Quis ex vobis homo , qui habeat centum oves , & si perdi-
dit unam ex illis , nonne dimittit nonaginta novem in deserto ,
& rudit ad illam , quæ periérat , donec inveniat eam ? v. 3.
Et cùm invenierit eam , imponit in humeros suos gaudens .

v. 5.

v. 5. Sic Deus non tantum innumeram multitudinem Angelorum reliquit in Cælo, & Genus Humanum in terra perditum quæsivit, donec inveniret, sub Crucis onere humeris imponeret: sed & te cum Regio Vate Ps. 118. v. ult. precantem: *Erravi, sicut viis, quæ perīst: quare Servum tuum: Suavi & effici modo, velut humeris portans, ab errore via tua vocavit. Quid nō jgitur & tu singulari studio deinceps cures Pastori tuo semper adhærere, eumque Duce sequi, id unum sollicitus, ut à Piorum Cætu, sive Vita Communi, nunquam ad ullam singularem & proprio appetitui accommodatiorem vivendi rationem deficas.* Gratus etiam agnosce Beneficium, quo Deus te humeris suis imposuit, protegendo, ne frequenter ad lapidem offenderes pedem tuum, & faciendo, in via Mandatorum Dei deficeres: utque hoc Beneficium tibi deinceps etiam præstare perget, stude ex ejus Ovibus Dilectis.

PUNCT. III. *Et veniens domum, convocat amicos vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni orem meam, quæ periérat. Dico vobis: Quod ita Gaudium erit in Cælo, super uno peccatore Pænitentiam agente, quam super nonaginta novem Justis, qui non indigent Pænitentiam.* v. 6. Non quidem erit istud Gaudium de Conversione majus, quam Gaudium de Perseverantia nonaginta novem Justorum: erit tamen Gaudium aliquod Speciale, quod speciali modo recreabit Angelos, & Animas Beatas in Cælo, quo non delectat Gaudium de Perseverantia multitudinis Justorum. Unde et opposito poterit etiam colligi ingens tristitia de aversione Justi à Deo. Itaque tam bene meritis Patronis & Tutoribus tuis non tristitiam, sed gaudium affi-

tuâ & multorum à te reductorum hominum Conversione.

MEDITATIO CCCLXVIII.

Parabola de Filio Prodigo.

Luc. 15. v. 11.

PUNCTUM I. *Ait autem (aliâ Parabolâ explicans Gaudium super uno peccatore Pænitentiam agente) Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis Patri (utpote sicut junior, ita imprudentior; quemadmodum omnis peccans est imprudens) Pater, da mihi portionem Substantiae, que me contingit. Et divisit illis Substantiam (quâ utendum fuisset ad negotiandum; sicut Gratiam Sanctificantem & Habitus Supernaturales Virtutum Dei in hac vita secundum portiones proportionatas Meritis distribuit, ut eas per Opera Virtutum augeamus) Et non post multis dies congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit Substantiam suam vivendo luxuriosè. Sic omnis peccans mortaliter, dissipat Substantiam suam, nempe Gratiam Sanctificantem, Charitatem, & omnes Virtutes Morales, omniaque præcedentia Merita. Idque contingit, quia à Cælestis sui Patris conspectu longius discedit per oblivionem Divinæ Præsentie. Ne ergo tu tan- torum Bonorum jacturam facias pro voluptate, aut bono temporali levissimo; sed DEVM tibi semper præfentem statue, & magni æstima tibi divisam Substan- tiam, finémque divisione intentum, ut non solùm non dissipes, sed augeas Substantiam Paternam.*

Y

PUNCT.